

MONOGRAPHIA
Whittier
CYCADEARUM.

SCRIPSIT

F. A. G. MIQUEL.

ACCEDUNT OCTO TABULAE.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD ROBERTUM NATAN,
ACADEMIAE BIBLIOPOLAM,
MDCCCXLII.

7. ZAMIA KICKXII.

Z. Caudice..... frondium gracilium rhachi tenui subterete glabra, foliolis alternis suboppositivae, horizontalibus, membranaceis, e basi contracta brevi-lanceolatis (quater vel quinquies longioribus quam latis), integerrimis, apicis inaequalis obtusiusculi margine imprimis inferiore serrulato, cono masculo longius pedunculato cylindrico, pedunculum aequante.

Icon. Tabula VIII. fig. 1.

HABITAT in insula *Cuba*, unde in *Hortum Gandavensem* introducta.

In specimine mare, a cl. KICKX nomine *Zamiae pygmaeae*? misso haec video: *Frons* tenuis, flexilis, 31 centim. longa; *rhachis* in sicco compressa canaliculata, vix omnino teres fuisse videtur, sed potius antrorsum canaliculata, supra suprema foliola paullo producta, laevis, splendens. *Foliola* utrinque 24, alterna, suprema subopposita, omnia fere horizontalia, infima brevissima, 2 centim. longa, media longissima, 5 centim., suprema mediis fere una tertia parte breviora, 3½ centim.; in medio 1 centim. fere lata. Suprema reliquis magis approximata. Omnia fere brevi-lanceolata, e basi contracta dein fere cuneata, sursum sensim latiora, adeo ut diameter maximus transversus supra mediam folioli partem obtineat. *Apex* fere obtusus, inferne obliquus, cum margo folioli superior sit magis rectus, inferior convexior. *Serraturae* argutae inaequales, inferioris marginis fere unam tertiam folioli longitudinem occupant; in superiore margine tenuiores serraturae tantummodo in apice adsunt. *Color* pallide viridis, luci obversa foliola translucida sunt. *Pagina* inferior pallidior, evidentius nervis striulata. — *Conus masculus* cylindricus elongatus acutus, 5 centim. longus, 1 crassus. Spadices tomento brunneo vestiti. *Pedunculus* laevis, sursum incrassatus, flexuosus (conf. p. 16).

8. ZAMIA DEBILIS WILLDEN.

Z. Caudice.... stipite rhachique semiterete-subtriquetris, foliolis remotiusculis, inferioribus alternis, supremis fere oppositis, mediis maximis, inferioribus minimis, omnibus lanceolatis (septies longioribus quam latis), integerrimis, apice obtusiusculo, subinde subemarginato subbilobo, obsolete serrulato, ad marginem inferiorem profundius versus basin quam ad superiorem.

STY. Palma prunifera humilis non spinosa insulae Hispaniolae, fructui jujubino similis, ossiculo triangulo
 COMMELIN *Horti medici Amstelae. rarior. plant. Descriptio et Icones. fasc. I.* 1697. p. 111.

Palma americana, foliis Polygonati brevibus leviter serratis etc. PLUKNET *Phyt.* p. 103 et 309?


Zamia debilis WILLDEN. *Spec. plant.* TOM. IV. p. 846. PERSOON *Synops.* TOM. II. p. 631. SPRENG. *Syst. Veget.* TOM. III. p. 907.

Zamia pumila POIR.? ex STEUD. *Nomencl. ed. 2.* p. 795. Zamia integrifolia RICHARD *Comment. Conif. et Cycad.* Tab. 27?

ICON. COMMELIN l. c. Tab. 58. (*rudiæ*). PLUKNET l. c. fig. 2 et 5? — Tabula nostra VIII. fig. 2.

HABITAT teste COMMELINO in insula *Hispaniola*, verisimiliter et alibi in terris americanis.

OBSERVATIO. Auctores in citando synonymo COMMELINI dissentierunt, quod tum e rudiore icone COMMELINI explicandum tum ex incerta et parum accurata Zamiarum cognitione in universum. WILLDENOWIUS primus synonymon COMMELINI stabilivit, *Zamiae debili* illud adscribens. Nec tamen icon accurate plantam exprimit, ex. gr. foliolorum serraturae nimis aequales (ut numquam in hoc genere occurrunt), nimis magnae caet. Ex *Horto insulae Pavonum* prope Potsdamum frondem accepi, inscriptam » *Zamia media Jacq.* — *Hort. Dresd.*," quam veram *Z. debilem* habeo, et mox describam.



A. ZAMIA KICKXII. B ZAMIA DEBILIS W.